

Sacerdotibus lacte replem; & invocatis Deorum nominibus lamentantur. Eam ob causam insula non additur nisi a sacerdotibus. Ibid. n. 16. signat inscriptionem in Isis laudem monumento ad monumentum incisam; quam videtis cum alijs encomijs, die 2. n. 8-7. Januar. n. 15. & 21. n. 8. Speciosius Isis sepulchri insigne fuit Avis Meleagris, quae sacra Isis, ut asserit Pausan. cap. 350. & videtur saepe in Tabul. Bembin.

Insigne sepulchri Isis, Meleagris.

Quenam aves?

Penelope ab illis servata.

Meleagris pulcherrimo.

Cur dicatur Naturae Genius?

Gallina Pharaonica

20 Qui Avem non viderunt, quae illis videtur Meleagris avis indigitatur. Dicunt Pavonem, Gallum Indicum, Stryphalidem, & avem Penelopes, de quo videtis Ulysssem Aldrovand. & Gesner. de Avib. Aves cogitantur Meleagrides in quas conversas Meleagri forores ob huius fatum, quotannis visitantes tumultum, ait Ovid. 8. Metamorph. fab. 4. & Natal. Comes, hic & 8. Myrbolog. cap. 25. ubi etiam dicit, aves Penelopes vocatas Meleagrides; quia illam expositam & in mari vagantem in littus adduxisse & educasse a piscatoribus, ferebatur. Kircher. in Theatr. Hieroglyph. cap. 1. astruit, esse volucrem, quam Gallinam Aegyptiam, seu Pharaonicam appellant Itali; cujus totum corpus stellulis veluti in firmamento quodam distributis concinnatur, vel coloris coerulei innumeris, istque etiam nigris, confusum maculis, veluti quibusdam figuris elegantissimè & pulcherrimè componitur: capite roseo, quid triangulare praeseferente, dorso plumis quasi in colliculum protuberante, gutture longo, cauda exili. Meleagridem Aegyptij Natura genium dicebant & Pantamorphum, propter miram & omnimodam varietatem universi, quod sicut Meleagris, majestate, ordine ac dispositione fulget. Icon videtur in Mensa Isaca, apud Joan. Georg. Hervvart, & ipsum Kircher. ibid. Syntagm. 1. a cap. 1. Unde Abenephius, Arab. Astrolog. inquit: Gallina Pharaona, illud est signum Firmamenti, sive stellarum fixarum: Aliquomodo describit Plinius, 10. cap. 26. Simili modo Meleagrides. Africa hoc est gallinarum genus (ait) gibberum, varijs sparsum plumis: quae novissima sunt peregrinarum avium. Nonnulli figuram Pavonis in cupula Samaritani templi arbitrantur Meleagridem, in Isis & non Junonis representationem; de quo Kircher. in Hebr. or. Pant. cap. 19.



DIES XV. FEBRUAR.

1 Grad. 25. Solis in Aquario, in quo adhuc hyemat aer, & Sol est in Piscibus. Columel. & Ptol. Juxta Jul. Firmic. qui gradum istum habuerit in horoscopo, erit sterilis, erraticus semper & in amoribus varijs cupiditatibus astutans, in quibus omnis illius cogitatio. Hirundo in alto caelo apparet. K. P. R. Vir spiculum magnum gestans. Sphaer. Arab. Hoc die juxta Typotium in Symb. 27. Regum Gall. oritur Crater. de quo epigrapha: Inter eclipses exorior. Vid. Tom. 1. Octav. Strad. pag. 38. Pridie signatur a Columel. & Ptol. De Piscibus diximus in Isag. a n. 2. ac de Nodo illorum, quem Zonam Jovis Astronomi dicunt: Cicero Nodum caelestem, quia non solum Piscium, sed totius Sphaerae ordinem ducit; ut notat Hygin. de Sign. caelest. n. 29. Pontan. 3. Uran.

XV. K.

Nodus Piscium.

Pontan.

Moyse tertio ingreditur ad Pharaonem.

Tanis civitas.

Hoc Signo Solisque viarum, atque ambitus anni
Clanditur, idque suo restantur sidera nodo.
Talibus atque alijs nitet intertextis figuris
Zona Jovis, zona aurato circumlita textu,
Favaque, fortunamque suis quae temperat astris.

2 Tertio ingrediuntur Moyse & Aaron ad Pharaonem. Primo constat Exod. 5. 1. secundo v. 20. tertio, cap. 6. a v. 11. tuncque patrata quae diximus die 13. n. 2. Postridie coeperunt plagae, ut dicitur, cap. 7. v. 15. Immisissas in terra Cham, dicitur Psal. 104. 27. a Mesraim filio Cham, Aegypti propagatoris, & errorum post diluvium. Non solum in Aegypto, sed quo loco, ut inde in totam provinciam grassarentur; indicatur Psalm. 77. 12. 42. In campo Taneos. Tanis civitas regia, septem annis post Hebron aedificata (Numer. 13. 23.) a septemdecim Titanibus filijs Noe, prius dicta Titanis, vel Taphnis ad Tanicum ostium Nili; quae tempore Moyse erat aula Pharaonis, ut ait Berol. lib. 2. Joseph. 1. Antiquit. cap. 9. Adrichom. in Pharan, n. 96. & Rab. Salom. in Psalm. 77. Liqueat ex Isai. 19. 11. & 30. 4. Vid. 14. April. n. 2. In capite prius apparebant plagae, posteaque per totam Aegyptum tanquam per membra extendebantur, ut regnum ambirent. Ibi propter sedem regiam ampliora flagitia, & superstitionum colluvies: insuper quia ibi Moyse projectus in flumen; uti dicemus loc. cit.

3 Quotidie plura meditabatur Manafes sub peccato venundatus, in Dei contemptum,

Erigit Deo Asara idolum & lucum, & transfuit in templum lucu e metallo conflatu.

ptum, ejus proculcata religione, & in loco quo plus colendus. Execrabilia prave cogitata exercuit impunè ad vota, sine timore divinae laesae majestatis, nec ullo honore deplofi abdictique Numinis, ut pridie diximus, n. 3. Sensim in majora ruebat. Unde cum primum lucum extra templum erexit set idolo, quod conflaverat (& quidem erat Veneri dicatum, sub titulo Asara, de qua 26. Augusti, n. 11.) templum sanctum aptius idoli collocationi inverecundus elegit, hodieque dedicavit, ut ait Elias in Thisbi. Rem astruit sacer textus, 4. Reg. 21. 7. Posuit quoque idolum luci, quem fecerat in domo Domini. Joseph. 10. Antiq. cap. 4. Ausus est etiam sceleris templum Dei profanare. Comestor. in 4. Reg. cap. 32. Adrichom. Ann. 3253. Genebrard. 3469. Briet. ac Torriell. Placuit summe dedicatio, sed pariter displicuit nuditas loci; quoniam cum idolo haud prout optabat, lucum transportare valebat: quapropter conflavit ex auro, argento vel aere. Unde Hebraei legunt: Posuit sculptile luci, quem fecerat: Quem, non Quod. Hoc est, Lucum magno artificio sculptum, & affabre divite materia efformatum, cum idolo jam erecto & nudè collocato, posuit in templo. Maluend. & Alapid. hic. Perspicue 2. Paralip. 33. 7. ubi: Sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Domini. Hebr. Posuit delolatum luci. Hispanice: De enalladura el retablo del bosque. De hoc luco Josias, ut dicitur 4. Reg. 23. ita decrevit: Effere fecit lucum de domo Domini foras Jerusalem, in convalle Cedron, & combussit eum ibi, & rediegit in pulverem & projecit super sepulchra vulgi. Patet ex metallo lucum, seu figuram luci factam. Ab hoc articulo etsi saepe projectus & ab aula expulsus, immò ingredi prohibitus; instabat Isaias jussu Dei, ut minis vel gratijs fanaticus gener converteretur ad cor. Narrabat Fabulam furdo, omnino exoso mores Prophetæ, quem ferè post quinque menses dirisimè secuit. Adi 6. Jul. a n. 3.

4 Eodem die posterioribus temporibus, cum jam ob peccata Manassae, essent imitatores & discipuli ejus sub captivitate Babylonica (ut praedictum a Numine, 4. Reg. 24. a 3.) prophetat Ezechiel adversus Nationes, quae auxilio fuere Nabucho in expugnationem Jerusalem: cap. 32. & seqq.

5 Sub Assuero inter Hebraeos celebrata convivia Susis (cum pridie factum in reliquis provincijs, ut diximus, n. 9.) eò quod non solum ab hostibus liberi, sed & ult: Esth. 9. a 18. Hi qui in urbe Susan eadem exercuerant, 13. & 14. die ejusdem mensis in Tom. 1. Ephem.

cade versati sunt: 15. autem die percutere destierunt; & iccirco eundem diem constituerunt sortium festum. Hi vero Judaei, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, 14. diem mensis Adar convivorum & gaudij decreverunt; ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum. Unde hic dies dicitur inter illos, Phurim majus, sive Sortium festum majus. Genebr. & Leonard. Mar. cum Scaliger. in Kalendar. 2. Machab. 15. 37. Dies Mardochei: siquidem per illum exaltatum a Rege Judaeis contigit tanta felicitas. Illustri loco apud Regem fuit (inquit Joseph. 11. Antiq. cap. 6.) vir prepotens, Regi administrationis, Regina vero etiam vita socijs quorum opera Judaeorum res floruerunt supra quam vel sperare poterant. Genebr. Ann. 4121. Prophetam vocat.

Phurim seu Sortium festum majus.

Dies Mardochei.

Ritus Judaeorum in celebrata festi Phurim.

6 Hos ergo dies, unum continentem festum, celebrare jussit Mardocheus & Esther & in perpetuum in cunctis Synagogis. Misit ad Judaeos, ut 14. & 15. diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno solemnè celebrarent honore: cap. 9. a 20. Comestor in Esth. cap. 1. inquit: Mardocheus scripsit etiam ad Judam, Summum sacerdotem in Jerusalem, ut dies isti solemnè haberentur in Judaea in sempiternum. Idem Joseph. d. subdit: Unde hodie quoque per totum orbem Judaeis hi dies festi sunt & partes de convivijs sibi mittunt invicem. Addit Genebr. in Psalm. 109. ex Rab. Salom. & Talmudicis: Per fenestras diebus convivijs fructus projiciuntur. Secundo a caede hostium anno, ab Esthere & Mardocheo scriptam fuisse secundam epistolam pro festi perpetuitate; dicunt Rabbini in Seder-Olam, cap. 29. ex Esth. 9. a 29. Ab Assuero subditis suis ethnicis imperatum; sed dictante Mardocheo; cogitat Serarius hic, quaestione. 4. ex cap. 16. 22.

7 Celebrarunt olim Judaei ante urbis excidium, & etiam deinceps in Synagogis, non solum praefatis laetitiae signis, sed alijs a Rabbini inventis. Quare, ut ait Cunaeus, lib. 2. Reipub. Hebr. cap. 23. Anton. Margarita, de Ritib. Judaor. Gregor. Tolosan. lib. 2. Syntagm. cap. 16. n. 10. Joan. Saubert. de sacrific. cap. 4. Sanctius hic num. 30. Serar. quaest. 2. & peculiari tractatu Uvilhelm. Schikardus; Festum Phurim, sive Sortium, alias Festum Mardochei, adhuc hodie Judaeis in usu, quo in Synagogis pulpita & scamna, quoties Amani mentionem faciunt, magno impetu percutiunt, tanquam percuterent caput Amani. Athanasius in synopsis. de Phurim festo, inquit: Judaei in ista die Aman

Aman incendunt, & diem festum agunt, salutaris eorum memoriale. Incendunt ergo pro Amiano Amiani effigiem, seu papyraceam statuam, ignem facilem concipientem; sicut in die Resurrectionis proditoris Judae inter nostrates comburitur, referta pulvere tormentario, ac sulphure artificiali cum nitro. Vide Sanctium & Serar. quod dudum.

8 Addebant etiam ut ait Cunaus, quod supra, in crucifixi Amiani memoriam (ut exprimerent suspensum) crucis multiplicis in agris elevationem; illicque scommatibus, verbisque procacibus illudere & irridere; tandemque ubi diu fatietatem usque opprobrii oppleverant, tradebant igni. Inimici crucis Christi hac indulgentia sub velamine Amiani, ritum retorferunt in N. Salvatoris, Crucisque ludibrium: quo cognito, cautum lege, ne synagogas novas extruerent, & cruces in celebri festo Phurim exurere possent. Ita leg. ult. C. de Judaeis & caliculis leg. Judaeos, ubi: Judaeos quosdam festivitatis sua solemni, Aman (ad poene quondam sumpta recordationem) incendere, & sancta Crucis adsimulatam speciem in contemptum Christianae fidei sacrilega mente exurere; Provinciarum Rectores prohibeant; neve locis suis fidei nostra signum immisceant: sed ritus suos citra contemptum Christianae legis retineant, amissuri sine dubio permissa haecenus, nisi ab illicitis temperaverint. Alijs in regionibus sub eodem astu in eundem scopum vafri collimabant. Frustra carnis fumo exsuccae ministrant pueris, ut verberent, bacillisque contendant; quasi Amanum concuterent, dicentes Caro nihili; sed sub verbis Christum intelligentes, quem procaces vocant hominem flocci absque ulla aestimatione, & utilitatis usu. Serar. d.

Inhibendum Judaeis Sortium festum.

Christi gesta.

Ejus jejuniis dies XXXIX.

9 Ann. Christi. 31. Finito jejunio, accessit tentator, quem ter vicit. Accesserunt Angeli, & cibum ei obsequiose ministrarunt. Alapid. n. 10. Statim reversus est in Galilaeam, & diebus quindecim mansit in Nazareth. Epiphan. Hares. 15. Idem alij dicunt: verum falluntur ex supputationis errore: equidem si jejunium incepit die 7. Januarij hic dies erit nonus supra trigessimum; quippe inter Hebraeos anni erant Lunares: & quanvis Januarius non cavus, sed mensis plenus; plus quam triginta diebus non constabat. Die ergo 16. consummatum fuit jejunium; ut recte calculanti patebit: nec illo die de diabolo triumphus, sed sequenti. Ann. 32. videtur Lamy in chronica. ab ipso in Apostolatam e telonio fuisse vocatum Matthaeum. Juxta Castell. ann. 33. processit in Jerusalem cum discipulis, illos docens Evan-

gelica consilia, & alia plura, relata a Luca, a cap. 12. usque ad 15. Idem astruit Alva, Tabul. 5.

10 Romae, Lupercalia tam Graeca, quam Latina, obscena prorsus, inventa ab Evandro, dum transivit in Italiam tempore Fauni. Sub quo (ait Justin. Hijior. lib. 43.) Evander ab Arcadia urbe Pallanteo, in Italiam cum mediocri turba popularium venit: cui Faunus & agros & montem, quem ille postea Palatium appellavit, benigne assignavit. In hujus radicibus templum Lycao, quem Graeci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit. Ipsum Dei simulacrum nudum, caprina pelle amictum est; quo habitu nunc Roma Lupercalibus decurritur. Ita cogenij habitus describitur a Pausania, cap. 184. Colore vehementer atro, omnique caetera specie maxime horribilis, amictus lupi pellis. Ritumque, praepudore abolitos, restituit Augustus, ut ait in eo Sueton. cap. 31. In his mutatis vestibus concurrebant viri & foeminae. Ovid. 2. Fastor. a v. 303. Haec ludicra sumpta sub Romulo & Remo, ex eo quod horum pecora a praedonibus abacta, currentibus seminudis Remi focijs, reducta in pascua: queis postquam potiti sunt sacra instituerunt, ut nudi juvenes accincti pellibus currebant, capra prius immolata; cum in articulo nihil Romulo focijsque ex sacrificio impertirent, praeter victimarum ossa, quoniam venerant postquam e manu praedonum pecora restituta. Ibid. a v. 373. Sacrificia ante Lupercalium institutionem erant tunc Junoni Februae, & Dijs Inferis. Fest. Pompejus, & Plutarch. Rom. n. 99. 68. Dicta etiam Lupercalia; quia cursus incipiebat a ficu Ruminalli, quod erat Lupae spelunca, nutricis Romuli & Remi. Ad cursum sanguine caprae immolatae facies Lupercorum foedabatur in risum, superstitiosaque foeminis sic pellibus occurrebant. Cuncta, si lubet, videntur, apud Tit. Liv. 1. a scilicet. 16. Alex. Neapolit. 4. cap. 12. Plutarch. in Romulo, Casare, & Marc. Anton. Rosin. 4. cap. 6. Gyrard. Synonym. 17. a n. 38. Struck. de Sacrific. Gentil. cap. 118. Valer. Maxim. 2. cap. 2. n. 9. & Sil. Ital. 13. a v. 376.

Lupercalia.

Faunus Deus Lupercus & Lycaeus. Imago.

Ritus sacrificiorum.

Junio Februaria.

Lupercis lustratur Roma.

11 Lupercalia interdum fiebant pro locorum lustratione. Bulenger. Advers. Magos, cap. 2. Februario februatur populus: id est, Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum. Palatium gregibus cinctum id temporis, quo Roma lustraretur. Idem Plutarch. in Numma, qui etiam quaest. praefat. Qua aguntur, lustratio sunt urbis, mensimque Februarium vocant, atque diem illum, quo scuticis de more verberant occurrentes; siquidem fe-

brutare lustrare significat. Inter Romanos in Lupercalibus, ut rite fieret expiatio immolabatur Canis. Rhodig. 17. cap. 27. sumptum ex Graecis: equidem ut dicit Plutarch. quo dudum: Canem omnes fere Graeci adhibebant; adhibentque in hunc usque diem nonnulli victimam in expiationibus: vel quod Lupercos allatrent, per urbem discurrentes. Hoc idem sacrificium fiebat orienti Caniculae, dicebaturque Sacrum Canarium, de quo 31. Julij. Aliam originem Lupercorum signat Valer. Maxim. quod supra, refertque Marlian. in Epitom. 2. cap. 13. Lupercalia autem festa (infit) a Romulo & Remo instituta. Hi enim a Numitore loco struenda civitatis impetrato, in eo loco ubi expositi fuerant; sodalium ad convivium lati advocant. Sacrificantes cibo relecti, ubi largius cum bibissent, jocantes pellibus immolatarum caprarum sese induunt, & saltando gestunt. Inde posterius rei celebrantes memoriam, Lupercalia festa egerunt, qua ita dicta a loco ubi primum cepta sunt agi, & nomen retinuerunt. Ibi enim situm Lupercal (Id est Ficus) qua saltem vestigijs usque ad Augusti tempora duravit. Idem in Topograph. Romae, cap. 22. Unde Ovid. d. v. 411. luccinit:

Arbor erat, remanent vestigia: quaeque vocatur Ruminalli ficus; Romula ficus erat.

Astruunt hic etiam Constant. & Martius, addentes, Lupercal dici speluncam ad radices montis Palatini, aruffis tectam, fontisque tubi petra profundos; & in intimo auti loco aram Pani sacram. Rosin. d. & lib. 3. cap. 2. Novarin. 6. Schediasm. cap. 25. n. 141. fuseque Gorop. Becan. Origin. lib. 4. Hoc quoque die fiebant solemnia Equiria, seu pompa equitum. Equestris ordinis juvenus (subdit Valerius Maxim. d.) omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & Equitum probatione.

12 Ab hujusmodi dehonestate, protrito frontis pudore, cogitat Joannes Boemus, inter Christicolos provenire corruptelas carnisprivij; quo qui magis dissolvitur, magis plauditur. Quomodo tres praecedentes Quadragesimam dies peragantur (ait 3. de Morib. Gent. cap. 15.) dicere, opus non erit; si cognoscatur, qua populari, qua spontanea insensata caetera Germania, a qua & Francia minime desecit, tunc vivat. Comedit enim & vivit, seque ludo jocoque omnimodo adeo dedit, quasi usui nunquam veniat rationis, quasi cras moritura, hodie prius omnium rerum satietatem capere velit. Novi aliquid spectaculi quis-

que excogitat, quo mentes & oculos omnium deleteret, admittationeque detineat: atque ne pudor obsteret, qui se ludicro illi committunt, facies larvis obducunt, sexum & aetatem mentientes. Vini mulierum vestimenta, mulieres virorum induunt. Quidam Satyros aut malos Genios, daemones, potius representare volentes, minus se aut arramento tingunt, habituque nefando deturpant. Alij nudi discurrentes, Lupercos agunt; a quibus ego annum istum delirandi moerem ad nos defluisse existimo: non enim multum diversus a Lupercalibus sacris, quae Lycao Pani in mense Februario olim a nobilissimis Romanorum juvenibus celebrabantur, qui nudi, sanguineque foedati per urbem vagantes, obvios loris cadebant; quod nostri sacris cinere aut farina refertis, percutiunt. Festivum utique, quod addit fieri, finito carnis-privio, ut compescatur foeminarum ludentium petulantia. Mirum est (infit) quod in perisque locis agitur. Virgines quotquot choreas frequentaverant, congregantur, & aratro pro equis advecta, cum tibicine qui super modulans sedet, in fluvium aut lacum trahuntur: id quare fiat non plane video; nisi cogitem eas per hoc expiare velle, quod diebus festis a levitate sua non abstinerunt.

13 Ignominiosa profecto atque dedecora apud Romanos sacra Lupercalia sed foediora Graeca, vocata Arcadica, Lycaea & Cronia, ut ait Halicarnass. l. n. 14. Sacra dicata Jovi, Fauno seu Pani in Lycao Arcadiae monte. Aug. 18. Civ. cap. 17. ubi ex Varrone asserit Romanos Lupercos ex illorum mysteriorum veluti foemine exortos. Lycaon (inquit Pausan. cap. 237.) urbem in monte Lycao condidit, Jovem Lycaum appellavit, ludosque in ejus honorem Lupercalia instituit: & capit. 262. Templum illic Jovis Lycae, quo nulla dicitur semita: nam quae sunt intras, in conspectu sunt omnia. Altaria Dei duo, mensa dua, totidem mensis pares aquile, & Panos lapideum signum. Vultus Jovis tantum diademate, sine alijs infulis; ut excussus in numismatibus Arcadicis, apud Goltz. Tabul. 11. Graec. ibique Nonnius n. 2. ait: Jovis est Lycae vultus. Nam praeterquamquod regnum Arcadium stemma a Jove originem ducat; etiam asserunt, Jovem in Lycao, monte Arcadia (quem plerique Sacrum vericem appellant) educatum fuisse. Strabon. & Aristotel. de Mirabil. auscultat. cap. 34. referunt, cum dies venerit festi, carpram sponte a grege immolandam venire. Idem alibi etiam accidere, ubi imago Lycae, uti in Pedasia Cariae, astruit Alex. Neapolit. 4. cap. 12.

Corruptela in Carnisprivio.

Canis tunc victim.

Sacrum Canarium.

Lupercal.

Ara Panos Luperci.

Equiria.

Pena foeminae pro choreis.

Lupercalia Graeca. Lycaea, & Cronia.

Jupiter Lycaeus.

Imago.

Diaboli fucus.